

291 collationis Kennicottianae, male a KENNICOTTO excerpta. Legit nimirum hic codex, cujus infra paullo uberiores addere licebit descriptionem, וְנִעְתָּה, KENNICOTTO tantummodo ן ommissum esse observante. Quae lectio, quamvis posthabenda vel vulgatae, vel antiquiori in versionibus veterum interpretum expressae, et ex mendo fortasse, sive scribae, sive typographi orta, sensum tamen fundit haud contemnendum, dummodo aliis animetur punctis vocalibus, וְנִעְתָּה. Sic enim enunciata haec vox ab עִית curvus fuit, media tamen ן hic quiescente, quod alias huic verbo insolitum est, derivari, vertique posset: *incurvatur brachiis meis arcus aeneus.*

OBSERV. IV. AD Ps. XIX, 14.

Haeserunt interpretes in hoc versu circa constituendum vocis אֵיתָם sensum. Alii enim derivantes illam a אֵיתָם ex consueta hujus vocis significatione verterunt: *infanti tunc pupillo similis ero quoad innocentiam,*
alii

alii, quibus nimis longe petita videbatur haec interpretatio, conferre maluerunt verbum מִמֶּנִּי , quod vel formam hic a מִי , conjectura minus probabili, et legibus grammaticae parum conveniente, mutatum esse contendunt, vel mutata lectione in מִמֶּנִּי huic loco restituendum esse asserunt, vertentes: *tunc integer ero purusque a graviore delicto.* Novam hujus vocis explicationem dedit *illustris* MICHAELIS in Supplem. ad lexica hebraica p. 1189: ex arabico usu vocis مِنْ-أَنْفِي remansit: *a proaereticis peccatis serva servum tuum, tunc remanebo et innocens ero a defectione magna.* Praeferendam tamen arbitror explicationem alteram, medio loco positam, mutandamque lectionem מִמֶּנִּי in מִמֶּנִּי , cum non solum omnes veterum interpretum versiones huic mutationi suffragari videam, sed quinque etiam codices KENNICOTTIANI conjecturae HOVBIGANTII de ommittenda littera י adstipulentur, quibus addere possum Cod. 291 KENNICOTTI (edit. Psalterii

terii Wittembergae 1566 factam) ab ipso praetermissum, qui in margine habet DAN , consentiente etiam altera ejusdem Psalterii editione, quae alias errores, mendo typographi in priore editione commissos, corrigere solet.

OBSERV. V. AD PS. LII, 3 et 9.

Describit hocce carmen, ad historiam procul dubio 1 Sam. XXI, 8. et XXII, 6. seqq. relatam, cui ipsa jam inscriptio illud applicat, referendum, et Doëgo Davidem Saulo proidenti oppositum, malitiam factumque maligni istius proditoris, et poenas illi minatur divinitus inferendas, clauditurque, uti plurima similis argumenti carmina a Davide composita, spe auxilii divini, restitutionisque in feliciorum statum mox obtinendae, grataque et pia mente nunquam non celebrandae. Orditur poeta v. 3. ab insigni adversarii sui malignitate, qua gloriam adeo sibi comparare malefactorum suorum enarratione studeat:

quid